Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0002-5

Tom. LXXXVIII

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0004-7

# FACVLTATIS JVRIDICÆ
# DECANVS,
# JO. CHRISTOPHORVS SPITZ, JCtus,
MEMORATÆ FACVLTATIS NEC NON JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLICVS ATQVE CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATOR,

## LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0005-2

Remedia juris Petitoria eſſe alia, & alia poſſeſſoria notorium ſatis eſt, quod vero, prioribus miſſis, quibus mediantibus de proprietate alicujus rei vel juris principaliter contenditur *L. 28. ff. de O. & A.* Poſteriora jure Romano interdicta ab interim dicendo, apud quem lite durante deberet eſſe poſſeſſio, fuerint ſalutata, & juxta ſummam eorum diviſionem in Prohibitoria, Reſtitutoria aut Exhibitoria, ſecundum alteram vero & ſequentem ſubdiviſionem, præſertim eorum, quæ rem familiarem concernunt, in Adipiſcendæ, Retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis remedia diſpeſcantur *ex Pr. & §phis 1. & 2. Inſt. jur. de interd.* colligere licet. In primo ſubdiviſionis ordine radiat 1. INTERDICTUM QUORUM BONORUM, quod directo *Bonorum Poſſeſſori*, utiliter autem ei datur, qui jure civili hæres eſt, contra illum, qui vel pro Hærede vel pro Poſſeſſore poſſidet ad rerum Hæreditariarum poſſeſſionem adipiſcendam, in quo differt ab hæreditatis petitione civili, cum in hac agatur, ut hæres declaretur, & deinde poſſeſſor ad rem hæreditariam cum fructibus reſtituendam condemnetur; ſicut & in eo diſcrepant, quod in illo leviores ſufficiant probationes atque Exceptiones in continenti non liquidabiles ad Reconventionem rejiciantur, in hac econtra plenior examinatio atque efficacior probatio requiratur, Ratio hujus manifeſta, ſiquidem in illo ſuccumbenti adhuc alia jura ſua vindicandi pateſcit juris via, quæ hâc amiſsâ præcluſa eſt. 2. REMEDIUM *L. fin. C. de Edit. D.* HADR. *tollend.* quod ſuccurrit Hæredi teſtamento vitio viſibili carente inſtructo, ut poſſeſſionem rerum hæreditariarum vacuam amplecti queat, modo non

non adſit legitimus contradictor, qualis eſt filius ex juſtis nuptiis natus, qui juxta formam *Nov. 115. cap. 3.* non eſt exhæredatus, aut etiam Hæres, ſi legatarii rerum legatarum poſſeſſionem amplecti conentur. 3. QVOD LEGATORVM, vi cujus Hæres de re legata poſt detractam Falcidiam reſtituenda cavens contra legatarios ad Poſſeſſionem rerum hæreditariarum conſequendam agit. notandum tamen hic, quod Legatarii debeant occupaſſe antequam hæres amplexus fuerit poſſeſſionem, etenim ſi illi poſtea id auſi fuerint, in *L. 7. C. unde vi* peccant. 3. Interdictum ſalvianum, quo creditor rerum ſibi oppignoratarum poſſeſſionem petit, atque illud in eo pinguius eſt actionibus Serviana & quaſi ſerviana, quod ibidem debitorem tempore oppignorationis poſſeſſorem fuiſſe demonſtrare ſufficiat, in his vero illum jus oppignorandi habuiſſe probare neceſſe ſit, in hoc tamen deterius eſt, quod tantum contra debitorem ipſum, contra tertium poſſeſſionem antem non, niſi fraudis & doli conſcium competat *L. 1. C. de prec. & L. 1. pr. ff. de interd. ſalv.* Illæ vero contra quemcunque poſſeſſorem indiſcriminatim competant. In ſecunda claſſe pro retinenda poſſeſſione inveniuntur Interdicta uti poſſidetis, & utrubi inter quæ olim varia ſtatuta erant diſcrimina, hodie potiſſimum ſublata, niſi quod primum de re immobili, alterum vero de re mobili conceedatur contra turbantem a quo actor non iniquam poſſeſſionis cauſam habet. In tertio loco referuntur remedia recuperandæ poſſeſſionis per vim ac violentiam alterius amiſſæ & ratione hujus de jure civili datur Interdictum unde vi, de jure Canonico autem indulgetur Condictio *ex Can. redintegranda 3. c. 3. q. 1.* vel *ex Cap. ſæpe 18. X. de Reſtit. Spoliat.* Illud Interdictum eſt Remedium Prætorium perſonale, quia ex cauſa perſonali, delicto videlicet perſonæ vim inferentis, immediate deſcendit *L. prætor. ait 1. pr. & §. 1. & L. 3. pr. ff. de vi & vi arm.* atque Poſſeſſori de re immobili dejecto ad poſſeſſionem recuperandam attribuitur, debet tamen, ut alias quilibet Actor, fundamentum ſuæ intentionis docere atque proprius aut civilis aut naturalis fuiſſe poſſeſſor, etenim improprio veluti colono, aut Procuratori dejecto

 hoc

hoc remedio ſuo nomine uti non permittitur, illud vero an poſſeſſor fuerit juſtus aut injuſtus, bonæ aut malæ fidei non curatur *d. L.* 1. *§.* 3. nam & Prædo ſecundum rigorem juris reſtituendus eſt *Cap. in literis* 5. *X. de Rol. Spol.* quia vis privata ſimpliciter interdicta, nec contra prædonem eſt licita *L.* 7. *in f. ff. de Min.* FACHIN. *L.* 7. *Controverſ. C.* 10. HAVNOLD. *de J. & jur. tr.* 3. *n.* 371. quodſi tamen prædo jam antecedenter alterum Spoliaſſet & hic prædonem in continenti, quam primum nempe potuit, reſpoliaſſet, interdictum ceſſaret. *d. L.* 3. *§.* 9. *ff. de vi & vi arm.* quia vim vi repellere & poſſeſſionem contra violentum invaſorem tueri jure Naturali & Poſitivo conceditur, imo ſi dominus prædonem ex intervallo dejiciat ac de qualitate domini & prædonis certitudo habeatur, ſumma profecto ſuadet æquitas, ut prædo ad remedium recuperandæ poſſeſſionis convolans non audiatur; tum quia domino magis quam Prædoni notorio propter jus proprietatis ignoſcendum; tum quia, ſi dominus in depoſito cum prædone concurrat, ille præfertur *L.* 31. *§.* 1. *ff. depoſ.* tum quia, ſi gravis præſumtio iniquæ uſurpationis ſtet contra ſpoliatum, ſpoliatus non reſtituitur. *Cap. fin. de Reſtit. Spoliat. in* 6. PEREZ *ad tit. C. unde vi. n.* 28. STRUV. *Exercit.* 45. *Th.* 109. LAVTERBACHII *Colleg. ad ff. tit. de vi & vi armat. §.* 9. ZOES. *ad ff. d. t. n.* 17. *ſeqq.* Objectum prælaudati interdicti ſolum invenitur in rebus immobilibus aut vere talibus aut æquipollentibus, ut ſunt res incorporales ſeu jura, tam Spiritualia v. g. jus eligendi, præſentandi ac decimandi, quam temporalia v. g. uſus fructus, jus piſcandi, venandi, Juriſdictionem dicendi, adeoque res mobiles ab eodem excluduntur, niſi per indirectum & ſecundario, ſi una cum rebus immobilibus ſimul res mobiles ſubtractæ fuiſſent *d. L.* 1. *§.* 7. *&* 33. *ff. de vi & vi arm.* ſed propter has ſubtractas aut actio furti, aut vi bonorum raptorum inſtituenda eſt, utpote quæ remedia juris ob vim ablativam competunt, cum interdictum unde vi de jure Digeſtorum ſolam ob vim expulſam detur, quamvis ex noviſſima Imperatoris JVSTINIANI Conſtitutione, quæ habetur *in L. fin. C. unde vi* etiam is pro violento poſſeſſore ac prædone habeatur, qui abſentis poſſeſſionem ſine judicis authoritate ingreſſus eſt

BRVN-

BRVNNEM. *Comment. in Cod. ad d. l. fin.* compendium SCHÜTZ.
*ad ff. d. tit. de vi & vi armat.* atque ex eodem contra talem in-
greſſorem ſicut & contra alium quemlibet dejicientem agere
licet, etenim illud etiam contra judicem, qui forte non ſer-
vato juris ordine aliquem Spoliat, aut Spoliari facit, ut &
contra Mandantem aut ratihabentem competit. *C. 7. X. de
reſtit. Spol. C. penult. de ſent. excommunicat. in 6. C. 9. & 10. de R.
I. in 6.* contra parentes vero, ſi ob Spolium agatur, ita eſt
temperandum, ne violentiæ fiat mentio; contra illorum hæ-
redes autem non datur, niſi in quantum ad eos pervenerit, li-
cet enim perſecutionem rei contineat, ex delicto tamen de-
ſcendit, quod hæredes non luunt. An contra tertium rei ab
alio vi poſſeſſæ ſingularem poſſeſſorem concedatur, quæritur?
& de jure civili eſt, quod negatur, de jure Canonico vero
examinatur & diſquiritur an non ſaltem ex *Can. redintegrand.
3. c. 3. q. 1.* contra illum agere permiſſum ſit. PIRHING. *in Sy-
nopſ. SS. Can. l. 2. tit. 13. §. 13.* adſtruit: remedium *Can. redin-
tegr.* tam generale & pingue non eſſe, ut quemvis poſſeſſo-
rem etiam bonæ fidei eo adoriri valeamus, nec hoc ex *d. c.*
colligi poſſe, eò quod ibi non plus dicatur, quam quod Epi-
ſcopi, ex quacunque cauſa in juſte Spoliati, ſint ante omnia
reſtituendi, Quod juxta regulam univerſalem veriſſimum
eſſet, non tamen probaret contra eos dari, qui bona fide rem
poſſident, cum in his nullum ſubſit periculum animæ, & fru-
ſtra Concilium Lateranenſe poſterius illo *Can. Redintegrand.*
de Remedio ex *C. ſæpe 18. X. de Reſt. Spol.* vi cujus contra ter-
tium Spolii conſcium agitur, laboraſſet, ſi tam pingue reme-
dium contra quemvis poſſeſſorem jam ante conſtitutum fuiſ-
ſet, cui adſtipulantur MENOCH. *de recuper. poſſeſſ. remed. 15. q.
13.* FACHIN. *l. 8. controv. jur. c. 12.* MYNSING. *c. 3. obſ. 85.*
PONTANVS *de Spolio l. 1. c. 14. n. 2. & ſeq.* Quibus refragatur
ANACLET. REIFFENSTVEL *in jur. can. l. 2. Tit. 13. de Reſtit. Spo-
liat. §. 2. n. 31. & ſeqq.* ſtatuens, quod remedium *dicti can.* Epi-
ſcopis clericis & laicis, qui res poſſeſſas in juſte perdidiſſe no-
ſcuntur, competat contra quemcunque talium rerum poſſeſ-
ſorem, ſive bona ſive mala fide poſſideat, ſive ſcienter ſive
ignoranter, ſive cum vitio, ſive absque vitio, ſive cum titu-

lo ſive ſine titulo res illæ ad ipſum pervenerint, unde Remedium affirmat eſſe pleniſſimum & magis generale atque utilius inter omnia Remedia poſſeſſoria, cujus opinioni ſubſcribunt GAIL. *lib. 2. obſ. 75. n. 10.* ALEXANDER. *Conſil. 94. n. 22. Vol. 5.* MARANTA *p. 4. Speculi Aurei diſt. 7. n. 58.* VALLENS. *ad jus can. de Reſt. Spol. §. 3. n. 1.* DECI. *conſil. 252. n. 1.* ac plures alii Theoretici & Practici & P. ENGEL. *ad Jus can. l. 2. tit. 13. n. 18. & 19.* hanc communem ac in praxi receptam eſſe recenſet, adſtruunt alii rationem, quia præfatum Remedium per Mores naturam actionum in rem ſcriptarum nactum eſſet. Cum hoc tamen diſcrimine contra tertium datur, ut malæ fidei poſſeſſor cum re omnes fructus, bonæ fidei poſſeſſor vero tantum perceptos & extantes reſtituere teneatur. Sed ut temporis Rationem habeam, filum argumenti abſcindo, quod *in lectione curſoria ad ſæpe memoratum canonem redintegrandæ* latius dilatabit.

*PRÆNOBILIS ET CLARISSIMVS*
*JVRIVM CANDIDATVS*

DOMINVS

## JOANNES MICHAEL WAGNER,

natus Stadtworbii ad Wipperam die XIX. Septemb. MDCCXXII. Patrem veneratur Virum Nobiliſſimum & Conſultiſſimum Dn. JO. JOACHIMVM WAGNER, Eminent. ac Clementiſſ. Archi-Epiſcopi & Principis Electoris Moguntini Cameræ Conſiliarium, Civitatis Stadtworbienſis ac Præfecturæ Harburgenſis Prætorem ac Præfectum meritiſſimum, Matrem vero CATHARINAM ELISABETHAM, natam Jordans omnibus virtutibus in ſexum ſequiorem cadentibus conſpicuam. poſtquam catholicæ Eccleſiæ per ſacrum baptiſma tempeſtive incorporatus atque Ejusdem fidei Principiis, nec non inferioribus ætati puerili congruentibus artibus privatim imbutus fuit, juſſu Parentum Heiligenſtadii ſub moderamine R. R. P. P. Societatis JEſu per ſeptennium commoratus ibidemque ſub directione *R. P.* JOSEPHI FLVCKE prima bonarum artium Elementa felici cum ſucceſſu hauſit,

Philo-

Philoſophiam vero a *R. P.* BECKMANN non minori felicitate excepit, dein Studia Juridica proſecuturus Hieranam noſtram acceleravit Univerſitatem atque primo Anno Prænobil. ac Conſult. D. JO. GEORGIUM BRÜCKMANN J. V. D. Judicii Elect. Provinc. Aſſeſſorem ac Profeſſorem publicum ac Civ. Erford. Senatorem Inſtitutiones juris atque digeſta explanantem, audivit, altero autem Anno Me tradente hæc aſſidue repetiit, atque Principia juris Canonici ad ductum ADAMI JOSEPHI GRENECKII explicantibus Nobiliſſimo & Conſult. Dn. JOANNE MICH. ROTERMUND, Em. ac Clem. Elect. Mog. Conſ. Reg. Jud. Eccleſ. Aſſeſſ. ac Decretalium Profeſſore publ. Ord. Sen. Civ. Erf. Conſ. prim., nec non Plur. Rev. & Ex. Dn. CHRISTOPHORO HUNOLD SS. Theolog. Doctore Em. ac Clem. Elect. Mog. Conſil. Eccleſ. Jud. Eccleſ. & Facultatis Theol. Aſſeſſ. & SS. Can. Prof. publ. ord. Inſignis Eccleſiæ Collegiat. B. M. V. Can. Cap. & Decano indefeſſa opera inbibit. Jus Feudale vero imprimis ex ore Nobiliſſimi atque Conſultiſſ. Dn. CONRADI WILHELMI STRECKER Em. & Clem. Elect. Mog. Conſil. Regim. Juridicæ Facultatis Aſſeſſ. Sen. ac Codicis Profeſſ. publ. Ord. nec non Civ. Erf. Conſul. prim. atque eo tempore Univerſitatis hujus Rectoris Magnifici longe meritiſſimi fideliter ac ſolide enucleatum intellexit, atque idipſum prælegente Prænobil. ac Conſult. Dn. JODOCO PAPEN J. V. D. ac Comite Palatino reiteravit, & ſic per aliquot annos hic Erfordiæ ea qua potuit ac licuit Aſſiduitate Juris univerſi notitiam ſibi comparare ſtuduit, & ab hinc ad ſuos reverſus, ulteriori ſtudiorum amore ſtimulatus, denuo exul Patria factus, Academiam Göttinganam acceſſit, ibidem prædicta ſtudia redintegraturus, Jus Naturæ Prænobilem ac Conſultiſſimum Dn. GEBAUER ac Jus publicum itidem Prænobilem ac Conſultiſſimum Dn. JACOBUM SCHMAUS utrumque Regiæ Britannicæ Majeſtatis & Sereniſſimi Elect. Hannoverani Conſiliarium Aulicum ac Profeſſorem publicum Ord. prælegentem indefeſſe adivit, Collegium autem Practicum ſub Manductione Prænobilis ac Conſultiſſ. Dn. CONSILIARII BÖHMER J. V. D. feliciter abſolvit. Tandem huc redux,

Ordi-

Ordinem noſtrum adiit, atque ſummos in utroque jure honores rite capeſſendi Licentiam modeſte petiit; cui laudabili deſiderio Facultas annuit, & rigoroſi Examinis præparandi cauſa Textus ex jure Civili æque ac Canonico ipſi ſunt transmiſſi, quos docte non ſolum reſolvit, ſed & præclaram in jurisprudentiæ Studio acquiſitam ſcientiam ita oſtendit, ut omnium congratulantium ſuffragiis, dignus judicatus fuerit, cui cathedra juridica aperiretur & ſupremi in utroque jure honores conferrerentur. Igitur futuro die Jovis in Lectione Curſoria *Can. redintegranda 3. C. 3. q. 1.* enucleabit, eaque finita Diſſertationem Inauguralem

DE

# ARCHICANCELLARIATV AC DIRECTORIO

## IN COMITIIS IMPERII EMINENTISSIMO ACRCHIEPISCOPO PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO COMPETENTIBVS,

ſine Præſide tuebitur. Quibus actibus ſolennibus ut Magnificus, Reverendiſſimus ac Ampliſſimus Univerſitatis Rector, Academiæ Patres Conſcripti ac cives præprimis autem legitimæ ſcientiæ Cultores frequenter intereſſe, eosque honorifica ſua præſentia illuſtriores reddere velint, officioſe & per humaniter invitantur & rogantur. Publ. ſub Sigillo Facult. Jurid. d. 3. Julii MDCCXLVI.

L.S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0012-1

94 A 7372

ULB Halle 3
001 681 94X

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0013-7




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0014-2

# FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS,

# JO. CHRISTOPHORUS SPITZ, JCTUS,

MEMORATÆ FACULTATIS NEC NON JUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PUBLICUS ATQUE CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATOR,

## LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

---

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-426839-p0015-8